

TRACTATUS TRIGESIMUS SECUNDUS

DE BENEFICIIS ECCLESIASTICIS.

Beneficia Ecclesiastica supponunt ordinem clericalem, fundantque obligationem recitandi officium divinum: unde ob connexionem doctrinae, post notitiam ordinis, & officii divini, opportunum putamus de Beneficiis instituire tractatum, in quo ea, quae alii prolixiori calamo disputant, unico capite breviter absolvemus.

CAPUT UNICUM

De omnibus, quae ad beneficium ecclesiasticum spectant.

PUNCTUM I.

De natura, & divisione beneficij ecclesiastici.

1. Inq. 1. Quid sit beneficium ecclesiasticum? R. Est jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiae propter aliquod officium spirituale, auctoritate Ecclesiae constitutum. Dicitur jus: quia ex iustitia beneficiario debentur proventus, tamquam laboris merces. Additur perpetuum, ad differentiam pensionis, quo perpetua non est, sed morte pensionarii deficit. Aliae particulae percipiendi fructus Ecclesiae denotant, quod bona, ex quibus tales fructus percipiuntur, debeant esse Ecclesiae. In principio fideles ad sustentationem ministrorum tradebant Ecclesiae sua bona, ex quibus, facta divisione, beneficia erecta fuerunt. Propter aliquod officium spirituale, administrandi nempe sacramenta, vel saltem canendi, seu recitandi divinum pensum. Ultima clausula auctoritate Ecclesiae constitutum, declarat, beneficium debere erigi auctoritate Papae, vel Episcopi.

2. Unde ad beneficium ecclesiasticum sex conditiones requiruntur. Prima, quod auctoritate Episcopi sit fundatum. 2. Quod habeat quid spirituale annexum. 3. Quod soli clerico conferri possit. 4. Quod sola persona ecclesiastica conferre illud valeat. 5. Quod sit perpetuum, & non ad certum

tempus. 6. Quod non possit collator illud sibi conferre, & absolute sine aliqua conditione alteri debeat impertire.

3. Inq. 2. Quotplex sit beneficium ecclesiasticum? R. Esse multiplex. Primo enim dividuntur beneficia in *majora*, & *minora*. Majora sunt Papatus, Episcopatus, & Abbatiae; Minora sunt caetera inferiora. Secundo dividitur beneficium in *saeculare*, & *regulare*: istud solum regularibus, illud saecularibus solum conferri debet. Nisi beneficium probetur esse regulare, censetur esse saeculare. Si vacaverit morte saecularis, saeculare, si obitu regularis regulare praesumendum est. Hinc saecularis non est capax beneficii regularis, nec regularis capax est beneficii saecularis curati; imo nec simplicis, ut indicat illud axioma de promptum ex cap. *Possessiones 10. de reb. Eccles. non alienandis: regularia regularibus, saecularia saecularibus*. Potest regularis de consensu Episcopi esse adjutor Parochi saecularis, seclusa dispositione peculiari in oppositum: quando cappellania postulat conferri cognatis, seu consanguineis, potest, & debet conferri propinquiori, etiam regulari, Episcopatus, sicut & Papatus abstrahit a saeculari, vel regulari, & utrique conferri aequae valet. Numquam tamen conferendus esset, nisi nolenti, & fugienti, qui enim eas dignitates curant, & ambiunt, nesciunt, quid faciunt.

4. Tertio dividitur beneficium tam saeculare, quam regulare in *duplex*, & *simplex*. *Duplex* est, quod habet jurisdictionem in clerum, & populum, & administrationem rerum Ecclesiae, hujusmodi sunt Papatus Cardinalatus, Episcopatus, Abbatiae, & etiam Dignitates Decanatus, Archidiaconatus, & omnia beneficia, quibus cura, & regimen animarum annexum est. *Simplex* dicitur, quod nulla jurisdictione, administratione, aut praemittentia gaudet, sed tantum officium fundendi preces, canendi in choro, aut altari inserviendi habet, ut canonicatus, cappellaniae, aut alia

sim-

Cap. Unicum De omnibus, quae ad beneficia ecclesiastica spectant. 221

simplicia beneficia. Quarto dividitur in *electivum*, *collativum*, & *mixtum*. *Electivum* est, quod a pluribus confertur per electionem, a Superiori confirmandam. *Collativum* est, quod absoluta Superioris voluntate confertur. *Mixtum* est, quod Patrono designante, atque Episcopo instituente, & confirmante confertur.

5. Quinto dividitur in *titulare*, & *commendatum*. Primum confertur ad totam vitam cum plenitudine juris. Secundum datur solius administrationis externae, & custodiae causa. Si autem datur ad vitam commendatarii, aequivalere titulari collato cum plenitudine juris. Sexto dividitur in *compatibile*, & in *incompatibile*. Primum est, quod non impedit munia alterius; & sic cum alio compatitur, ut duae cappellaniae, quarum onera ab uno solo impleri queunt. Secundum est, quod impedit munia alterius: qua ratione non compatitur cum eo: ut duo beneficia curata, aut duo canonicatus: quia licet isti non habeant curam animarum, requirunt tamen duplicem personam. Nisi sint duplices Ecclesiae, quibus interesse valeat, ob earum proximitatem, & differentiam temporis officiorum. Aliqui etiam dividunt beneficium in *manuale*, & *non manuale*; sed improprie, quia manuale non est proprie beneficium ecclesiasticum, cum auferri possit ad nutum collatoris.

6. Dignitates, seu officia regularia, ut Generalatus, Provincialatus, Prioratus, & similia non sunt proprie beneficia ecclesiastica: quia licet jurisdictionem habeant, tamen non conceduntur in titulum, nec praeserunt jus perpetuum fructus Ecclesiae percipiendi; quod exigitur ad beneficium proprie tale. Similiter patrimonium ad cuius titulum, quis ordinatur, non est beneficium. Dignitas Vicarii generalis Episcopi, seu Provisoris, aut Vicarii temporalis Parochi non est beneficium: quia est ad nutum amovibilis. Verum Vicaria perpetua in Parochiali est proprie beneficium: quia perpetuo potitur jure ad fructus percipiendos; propter eandem rationem clericus, curam habens hospitalis, auctoritate Episcopi designatus cum proventus annuis perpetuo percipiendis, proprie beneficiarius est. Praestimonia etiam sunt proprie beneficia ecclesiastica.

7. Circa originem beneficiorum scien-

dum est, semper in Ecclesia fuisse beneficia: quia semper ab initio habuit Episcopos, Presbyteros, Diaconos, qui populum in spiritualibus erudirent, & pascerent. Alebantur ex bonis, & oblationibus fidelium, qui praedia vendentes, eorum pretium Apostolis tradebant, ut constat *Actor. 4. & 5.* Temporis autem decursu consultius visum fuit conservare praedia, eorumque redditibus Episcopo traditis, subvenire Ecclesiae ministris, qui communiter, ut nunc religiosi, in aliquo caetu, seu collegio debebant. Denique cessante communi clericorum vita, & habitatione, Simplicius Papa redditus Ecclesiarum in quatuor partes divisit. Primum Pontifici, seu Episcopis applicavit. Secundum clericis juxta eorum merita. Tertium fabricae Ecclesiae, & quartum pauperibus. Quod postea Gelasius, & alii Pontifices confirmarunt. Ex hac igitur partitione fructuum cum aliis, quae ex devotione fidelium in dies accrescunt, beneficia conflantur. Verum divisio haec non tribuit beneficiario absolutum dominium sui beneficii, quia reliqua, praeter congruam sustentationem, tenentur ex iustitia pauperibus distribuere, ut diximus *tract. ix.*

PUNCTUM II.

De cappellanis.

8. Inq. 1. An cappellaniae sint propriae beneficia ecclesiastica? Pro responsione nota, quod cappellaniae sunt in duplici differentia: nam aliae eriguntur privata auctoritate laici fundatoris absque intervenitu Episcopi, & dicuntur *laicae*. Aliae instituuntur media auctoritate Episcopi, & conferuntur, solis clericis in perpetuum, appellanturque *collativae*: quo supposito.

9. R. 1. Quod cappellania, primo modo erecta, nec est beneficium ecclesiasticum, nec exigit praefixam aetatem, nec tonsuram in recipiente, nec pro ea debetur subsidium, nec adstringit ad horas canonicas: quia nullus sine Episcopi auctoritate beneficia ecclesiastica erigere valet. Poterit autem quis ad titulum ejus ordinari, tamquam ad titulum patrimonii saecularis. R. 2. Quod cappellania auctoritate Episcopi erecta, est proprie beneficium ecclesiasticum. Et licet a Patro-

no

no seculari presentetur, solum clerico ab Episcopo, vel ejus autoritate confertur. Quando vero dubitatur, an Episcopi autoritate erecta sit, nec ne; collativa censenda est, si Ordinarius est in possessione eam conferendi, aut aliquoties contulit; esto aliquando etiam laicus impertiverit. Non tamen per unam, ut aliam collationem ab Ordinario exercitam, exiit naturam primordiale, si ab initio mere laica fuit.

10. Inq. 2. An, quando in cappellania collativa disponitur, quod conferatur cappellano, qui tot Missas in qualibet hebdomada dicat, aut celebret, possit eligi cappellanus non Sacerdos? R. affirm. Quia talis dispositio non tam respicit celebrationem ab ipso cappellano faciendam, quam, onus Missarum, quæ celebrari debent. Tum quia præfata dispositio non excludit posse eas celebrari per alium: & qui per alium facit, per se facere censetur. Tum etiam, quia constat ex pluribus declarationibus sacræ congregationis apud Garciam part. 7. cap. 1. n. 37. idem tenent Barbosa, & alii, qui perspicaci oculo decreta sac. congreg. rimantur.

11. Inq. 3. An quando fundator præscribit, quod ad cappellanum eligatur Sacerdos, possit eligi non Sacerdos? R. neg. Tum quia ita decisum est pluries a S. congregatione. Tum quia qualitas adjuncta verbo intelligitur secundum tempus illius, sed verbum significat tempus præsentationis, erg. etiam qualitas Presbyteratus, quæ proinde tempore præsentationis debet necessario adesse. Nec valet in hoc Episcopus dispensare, quia quando legatum valet impleri juxta specificam formam, nequit ab Episcopo immutari, ergo neque verba testatoris, aut fundatoris postulantis Sacerdotem pro cappellania a se erecta. Eadem ratione cappellanus adstrictus ad celebrandum in hac Ecclesia, vel altari, nequit alibi celebrare; licet in hoc ex justa causa posse Episcopum pro aliquo tempore dispensare, non inficiamur.

PUNCTUM III.

De pensionibus.

12. Inq. 1. Quid, & quotuplex sit pensio? R. Pensionem, nihil aliud esse, quam

jus percipiendi fructus aliquos ex alieno beneficio, alicui sive ad tempus, sive ad vitam concessum. Alia est clericalis, & est illa, quæ fundatur in titulo mere spirituali, petitque ex parte subjecti ordinem, & ad functiones spirituales ordinatur, qualis est illa, quæ confertur coadjutori Episcopi, vel Parochi senio, vel infirmitate confecti. Alia est laicalis, & est illa, quæ confertur laico ob beneficium aliquod temporale Ecclesiæ collatum, quales sunt tertiæ Regibus Hispaniæ collatæ, vel filiis Principum, ut studiis vacent: aut œconomis Pontificum, vel Cardinalium, vel aliis secularibus, vel ecclesiasticis pro negotiis mere temporalibus: vel ministris Ecclesiæ servientibus in pulsatione organi, in cantu, in ostiorum aperitione &c. Tertia est mixta, quia partim est spiritualis, & partim temporalis, & est illa, quæ licet ex parte subjecti petat ordinem; tamen non petit officium spirituale, sed datur titulo temporalis, & ad munus omnino temporale ordinatur: qualis est, quæ datur clerico pauperi, ut alatur, vel Parochi seni impotenti beneficium servire: aut quæ conceditur beneficium resignanti, vel litem circa beneficium cedenti.

13. Inq. 2. An pensio clericalis sit proprie beneficium ecclesiasticum? R. neg. Tum quia pensio, etiam clericalis, non est ex se perpetua, sed expirat morte possidentis, quod est contra naturam beneficii ecclesiastici. Tum quia Pius V. adtrinxit pensionarios ad officium B. Mariæ Virginis constitutione Ex proximo, ergo signum est, quod antea ad nullam recitationem tenebantur, nec pensionem numerari inter beneficia ecclesiastica, quibus recitatio officii divini necessario annexa est. Et licet aliquando subrogetur loco beneficii, ut pensio relicta beneficium resignanti; tamen naturam beneficii non obtinet: cum non sit ex se perpetua, nec subrogatio eam tribuit, ut patet in patrimonio seculari, & cappellania laicali, ad quorum titulum quis potest ordinari, quin naturam beneficii assequantur, esto loco beneficii ad ordines subrogentur.

14. Inq. 3. Quis valet super beneficia pensiones imponere? R. Solum Papam habere talem potestatem: quia solus Papa potest gravare beneficia ex justa causa. Valent tamen Episcopi pensionem aliquam im-

Cap. Unic. De omnibus, quæ ad beneficia ecclesiastica spectant.

imponere ipsis beneficiariis ob justam causam: nempe ob pauperitatem beneficium resignantis; ob componendam litem, vel ob fructuum inæqualitatem in permutatione beneficii. Debent tamen a Pontifice confirmari pensiones ab Episcopo impostæ. Adest ergo differentia inter utrasque pensiones, quod impostæ supra beneficium durant usque ad obitum pensionarii; quæ supra beneficiarios, morte beneficiarii expirant. Unde Episcopus gravare potest beneficium, non beneficium: ideo hoc post mortem beneficiarii non transit cum onere pensionis ad alium; bene vero pensio supra beneficium posita, transit enim cum eo usque ad mortem pensionarii. Idem, quod Episcopi, possunt Legati a latere respectu beneficiorum, quæ ipsi conferre valent, qualia sunt omnia suæ legationis non reservata. ex cap. 1. de officio legati in 6. Nuncii, & alii Legati, qui dicuntur Missi, nulla facultate pensionem imponendi gaudent. Beneficia Parochialia nequeunt pensionibus gravari: ut Parochi necessitatibus Ecclesiæ, & pauperum subvenire valeant: ita decrevit Innoc. XII. anno 1622. Nota, facultas pensionum imponendarum omnino cessavit in Hispania ex vi concordati Benedicti XIV., & Ferd. VI. art. 8. nisi Regis, qua patroni, consensus assequatur: quod antea statutum erat Leg. 5. tit. 6. lib. 1. Novæ Recop.

15. Inq. 4. Quæ causæ requirantur ad licitam pensionis impositionem? R. Quod quatuor communiter assignantur. 1. Paupertas clerici beneficium resignantis. 2. Aequalitatis ratio in beneficiorum permutatione: ut quando pingue cum tenui permutatur. 3. Componenda litis occasio. 4. Ut pensionarius creditus Ecclesiæ utilis, studiis vacare possit. Requiritur etiam ad valorem pensionis consensus beneficiarii, nisi constet Pontificem velle agere de plenitudine potestatis, quod regulariter non est præsumendum. Causa pro pensione laicali est aliquod obsequium a se, vel a suis majoribus Ecclesiæ præstitum.

16. Quota, seu summa pensionis debet esse proportionata proventibus beneficii, nec ultra tertiam partem potest excedere. Quando in ejus impositione dicitur: Dummodo maneant centum pro Rectore, & mille pro Episcopo: intelligenda est conditio hæc etiam pro tempore futuro: ita ut, si

decursu temporis adeo minuantur redditus beneficii, ut non maneant centum pro Rectore, & mille pro Episcopo, liberi sunt pensionarii a pensionis solutione: quia enuntiatæ quantitas destinata est pro Parochi, & Episcopi congrua, quæ jure naturæ eis debetur.

17. Inq. 5. Quis sit subjectum capax pensionis? R. Quod pensionis laicalis quilibet in quacumque ætate, etiam scemina capax est, ut illum S. Pontifex conferre valeat. Verum pensionis clericalis solus clericus, saltem tonsuratus, est capax: sic constat ex duplici constitutione Pii V., & Sixti V. Præter tonsuram, requiritur etiam quatuordecim annorum ætas in subjecto pensionis. Excommunicati, irregulares, conjugati, & illegittimi incapaces sunt pensionis clericalis, & etiam mixtæ: quia & ista habet aliquod spirituale annexum, ne possit vendi absque labe simoniæ. Si illegittimi dispensentur ad beneficia, capaces fiunt ad pensiones: quia habiles jam sunt ad percipiendos fructus beneficii. Regulares nullius pensionis sunt capaces, nisi dispensatione Pontificis. Ad novam pensionem impetrandam debet fieri mentio de aliis pensionibus antea obtentis; secus de beneficiis; nisi quando alia beneficia obtinenda sunt.

18. Pensionarius habet juxta pensionem exigendi a beneficiario, & hic tenetur ex justitia ad illam solvendam, alias frustra reddetur; imo beneficiarius debet solvere pensiones tempore antecessoris non solutas, si pensionarius diligentiam adhibuit, ut sibi a prædecessore solverentur; secus si nullam diligentiam apposuit. Ita pluries decisum est a S. congregatione. Non potest pensionarius pro libito testari de bonis pensionis clericalis, aut mixtæ: quia omnia titulo pensionis percepta præter congruam substitutionem ad pauperes pertinent.

19. Inq. 6. Quæ sint pensionarii obligationes? R. Præcipuas esse tres. Prima, recitare officium B. Virginis, si alias non tenetur ad horas canonicas. Constat ex constitutione 135. Pii V. Secunda, gestare tonsuram, & habitum clericalem sub pena privationis pensionis: ut patet ex constitutione 30. Sixti V. Tertia, solvere decimam papalem, subsidium excusatum, contribuere ad reparationem Ecclesiæ, &

ad alia onera, ad quæ beneficiarius tenetur: quia eo ipso, quod pensio sit extracta ex fructibus beneficii, debet ejus onera pro rata subire; nisi Pontifex pensionem ab hoc onere liberet, aut relevet.

PUNCTUM IV.

De extinctione, & translatione pensionis, & de coadjutoriis.

20. Inq. 1. Quot modis pensiones cessent, aut extinguantur? R. Quod pluribus modis extingui, seu cessare possunt. 1. Morte pensionarii. 2. Si clericus militiae adscribatur, & monitus eam non deserat. 3. Professione religiosa. 4. Si clericus matrimonium contrahat. 5. Promotione pensionarii ad Episcopatum. 6. Si clericus monitus tonsuram, & habitum clericalem deferre recuset. 7. Cessione, seu remissione pensionarii in totum, vel in partem; nisi titulo pensionis sit ordinatus, tunc enim absque Episcopi consensu remittere non valet.

21. Inq. 2. Quid sit translatio pensionis, & an liceat? R. Quod translatio pensionis est *mutatio juris exigendi fructus ex beneficio de una in aliam personam*. Privilegium transferendi pensiones solis Cardinalibus, vel aliis paucis conceditur; nec præsumitur concessa talis facultas, nisi verbis perspicuis exprimat. In translatione pensionis, antiqua extinguatur, & nova consurgit: quia pensio est jus personale non perpetuum, sicut beneficium, ideo ad mutationem personæ ipsa mutatur. Accipere pecuniam pro translatione pensionis, simonia est.

22. Inq. 3. Quotuplex sit coadjutoria? R. Est duplex, alia temporalis, & revocabilis, alia perpetua, & irrevocabilis. Nulla est proprie beneficium ecclesiasticum. Prima datur Parocho seni, aut impedito, ut pro eo suppleat, quadam portione ei assignata de fructibus beneficii, secunda datur cum jure succedendi in beneficio, seu præbenda. Nullus præter S. Pontificem, & ex justa causa, hanc coadjutoriam concedere potest. Utinam numquam concedatur! Non enim utilitati Ecclesiæ, aut fidelium edificationi deservit. Vix occurrere valet causa legitima ad has coadjutorias perpetuas impetrandas, Unde

merito relegatæ sunt in posterum ab Hispania, juxta decretum Tridentini sess. 25. cap. 7. de reformatione.

23. Principali mortuo, quando litteræ coadjutorie expediuntur, nulla est concessio; valida tamen si moriatur post litterarum expeditionem. Coadjutor tenetur choro inservire, principali id petente: ad hunc quippe finem assignatur. Principalis, & coadjutor valent simul choro interesse, dummodo voce non gaudeant, nec duplices velint distributiones lucrari. Coadjutor sedem in choro habet immediate post canonicos. Principali excommunicato, potest coadjutor choro inservire sibi que lucrari, quia inseruit romine proprio, non excommunicati. Coadjutoria incompatibilis est cum beneficio residentiam exigente. Adstringit ad deferendum habitum clericalem, & tonsuram, non tamen ad divinum officium privatim recitandum, si ex alio capite non teneatur. Hac de causa nihil de fructibus percipere potest, nisi juxta pactum, & conventionem cum principali. Eadem ratione in ingressu non tenetur solvere fabricæ, quamdiu cum proprietate canonicatum non assequatur.

PUNCTUM V.

De residentia a Pastoribus Ecclesiæ observanda.

24. Inq. 1. Quid, & quotuplex sit residentia? R. Quod residentia est *commoratio, seu habitatio in aliquo loco*. Dividitur in *materialem, & formalem*. *Materialis* est habitatio, seu assistentia personæ in Diocesi, seu Parochia. *Formalis* est sollicitudo, cura, vigilantia, & regimen Diocesis, seu Parochiæ. Parochi, & ceteri ad residentiam, juxta dicenda, adstricti, qui suo muneri satisfacere cupiunt, videant omnino sapientissimum Lambertinum, postea Bened. XIV. præclare, & egregie utramque exponentem in suis aureis Institutionibus, præcipue 9. 10. & 17.

25. Inquires 2. Qui, & quo jure ad residentiam teneantur? R. Quod in prima omnes curam animarum habentes tenentur ad residentiam materialem, & formalem juri naturali, & divino. Hæc resolutio licet expresse definita non sit in Concilio

Tri-

Tridentino propter Catarinum, liberius cum aliis, sed præ aliis adversus eam conclamantem: verum satis perspicue colligitur ex sess. 23. cap. 1. de reformat. Probatur ratione: ex jure naturali, & divino, curam animarum habens, debet esse pastor, medicus, magister, & doctor; & veluti forma eas vivificans; sed hæc omnia postulatur assistentiam materialem, & formalem, ut ex se patet, erg. ad eam tenetur quilibet animarum curam habens. Ita D. Thom. 2. 2. q. 185. art. 5.

26. Unde summus Pontifex, qui est Episcopus Romanus, tenetur Romæ reside- re, nec inde abesse, nisi ex aliqua gravi causa: quia obligatio naturalis, & divina etiam Summum Præsulem adstringit. Cardinales ex vi sui muneris debent S. Pontifici commitari, quia sunt ejus consilarii, & compastores totius ovilis Christi. Si autem Episcopi instituantur, in sua Diocesi reside- re tenentur, exceptis sex Episcopis Cardinalibus, Ostiensi, Portuensi, Sabi- nensi, Albanensi, Prænestino, & Tusculano, qui Romæ regulariter assistunt, ut Pape pro Ecclesiæ negotiis operam præsentent, facilius adimplendo obligationem residentie formalis, ob parvam Diocesium sibi commissarum ab urbe distantiam: ut inquit Bened. XIV. in Synod. lib. 7. cap. 1. num. 7.

27. Episcopi igitur omni jure ad residentiam in sua Diocesi adstringuntur: ideo Tridentinum loco laudato de Episcopis expresse loquitur. Ipsi enim sunt prorsus Pastores, & Doctores, lux, & sal suæ Diocesis: unde reside- re debent in oppido suæ Cathedralis, sicut nauclerus ad navis clavum, excepto tempore visitationis, cui alias sollicitè incumbere debent: maxima namque præjudicia Diocesi ex defectu personalis visitationis Episcopi obveniunt. Qui hoc, & alia onera episcopalia subire non valet, Episcopatum renuntiet, nisi saltem alium substituat, qui pro eo suppleat.

28. Parochi, & alii curam animarum habentes, eodem jure naturali, & divino tenentur ad residentiam materialem, & formalem, instruendo, & docendo populum verbo, & exemplo, sacramenta fidelibus ministrando, non solum semel in anno, & in articulo mortis, sed etiam quoties rationabiliter expostulent. Imo de-

Tom. II.

beat illos ad eorum devotam frequentiam invitare, salutique spirituali sui gregis sedulo incumbere; ad hunc enim finem decimas, & proventus beneficiorum percipiunt. Obstringuntur igitur Parochi sollicitam adhibere curam de salute spiri- tuali suarum ovium. Item infirmos suæ Parochiæ visitare, & si indigeant, etiam temporaliter eis succurrere, & attendere, ne absque sacramentis decedant. Nullo modo eos deserere præcipue tempore belli, epidemici, aut pestis, in quo etiam cum vitæ periculo tenentur eis assistere, nisi ob justam causam per alium suppleant. Non tamen possunt fugere, sed in sua præcæcia permanere sub gravi debent. Item auxiliari jam morituris; tunc enim maxime indigent oves auxilio sui pastoris: qui non valent ab hoc se excusare eo, quod alii supplebunt pium munus auxiliandi, quia ipsis primario incumbit. Et quilibet, qui sentit commodum, debet sentire & incommodum. Et ad tuum tu: Hispanæ *A lo tu- yo tu*, nam sicut est officium Parochi solemniter baptizare, & nuptias benedicere, ita & moribundis auxiliari. Imo hoc accuratius illo debet Parochus, ut verus pastor perficeret. Similiter debet pro omnibus Parochianis Deum orare, diebus Dominicis, & solemnioribus eis aliquam concionem facere, & omnibus festis pro illis sacrificium Missæ offerre: quod pro cunctis curam animarum habentibus decrevit Bened. XIV. in constitutione *Cum semper oblatas* expedita 19. Augusti 1744.

29. Igitur ad præfata omnia commodius præstanda tenetur Parochus die, ac nocte habitare intra propriam parochiam in eo loco, unde aptius assistere gregi valeat. Nec a supradictis gravissimis obligationibus excusare eum ullo modo potest tenuitas beneficii: quia vel hoc renunciet, vel onera subeat. Si domum propriam non habeat, debet eam conducere prope Ecclesiam. Si duas regat Ecclesias, in digniori resideat: si equalis sint dignitatis, in qua maluerit, aut in frequentiori. Solus cum suis ministris debet esse in domo, ut omnibus accessus pateat, secluso quolibet impedimento, aut prætextu, illum præpedire valente. Parochus notabiliter absens, præter grave peccatum, amitit fructus pro temporis rata ex Trident. loc. sup. cit. Circa obligationem Parochi ad fidei mys-

Ff

teria

tertia populo exponenda. Videatur *tract.* 7. n. 49.

30. Inq. 3. Quanto tempore possint Parochi absque culpa gravi a sua Parochia abesse? R. Quod ad summum per unum, aut alterum diem in anno, quando nullus infirmatur, absque gravi culpa abesse possunt; nullo autem modo per tres continuos sine causa ob pericula, quæ inopinato sæpe contingunt, & ob gravitatem obligationis personalis residendi. Nec excusat vicarii, aut alterius substitutio (excepto tempore vacationis, & synodi Diocesanae, cui ex vi sui officii tenentur assistere) quia obligatio est personalis, & ipsi Pastori incumbit gregem suum custodire. Hac ratione neque Cardinales, neque Episcopi Parochos pro suo servitio occupare licite valent. Neque causa studendi, aut docendi in universitate abesse possunt: etiam prætextu cuiuscumque privilegii, consuetudinis, aut praxis: quia nulla praxis, nullumve privilegium contra obligationem juris naturalis, & divini prævalere potest. Esto enim aliquando Pontifex ex justa causa valeat in lege divina, & naturali dispensare, vel declarare non obligare in casu particulari; vix, aut ne vix in præsentis causa legitima adesse potest. Non ad studendum, quia Parochi debent esse sufficienti studio præditi, non ad docendum, quia alii æque idonei, ac Parochi, facile inveniuntur, qui in universitatibus munus docendi abunde obire valeant.

31. Inquires 4. An canonici, præbendati, portionarii, mansionarii, & capellani Ecclesie Cathedralis, aut Collegiate ad residentiam teneantur? R. affirm. Constat ex Trident. *Sess.* 24. *cap.* 12. *de reformat.* Ubi omnibus enunciatis præcipitur residentia in suis Ecclesiis sub poena amissionis dimidiæ partis fructuum pro primo anno, pro secundo omnium fructuum. Si negligentia augeatur usque ad contumaciam, præbendis, aut beneficiis spoliari debent. Cæterum beneficia simplicia, licet ex jure antiquo omnia residentiam exigebant, ex communi tamen consuetudine ad illam jam non adstringunt. Verum ubi consuetudo residendi laudabiliter viget, omnino servari debet. Consentaneum quippe est rationi naturali, ut qui beneficia quantumvis simplicia possident,

Tract. XXXII. De beneficiis ecclesiasticis:

pro modulo suo, & juxta proprium statum Ecclesie inserviant, & famulentur.

32. Inq. 5. An electi ad Episcopatum, & ad alia beneficia, ordines eisdem annexos quantocius suscipere teneantur? R. Quod Episcopi electi, & confirmati, etiam si Cardinales sint, consecrari tenentur intra tres menses sub poena privationis fructuum. Si autem intra alios tres menses non curent consecrari, privantur Episcopatu. Quæ potius conditiones, quam poenæ sunt, ideo supposita negligentia ipso facto incurrunt. Similes Parochi, nisi intra annum curent ad Sacerdotium promoveri, beneficio privantur. Annus autem computatur a die pacificæ possessionis beneficii. Pariter, qui in Cathedralibus obtinent dignitates, canonicatus, portiones, aut quælibet alia beneficia, tenentur intra annum ad suscipiendos ordines eis annexos, sub poena privationis vocis in capitulo, & aliis in jure statutis. Omnia constant ex Trident. *sess.* 22. *cap.* 4. *sess.* 23. *cap.* 7. *de reformatione*, & *ex cap. Commissa*, *de elect.* in 6.

PUNCTUM VI.

De causis excusantibus Episcopos, & alios a residentia.

33. Inq. 1. Quenam sint causæ excusantes Episcopos a residentia? R. Quod sunt *Christiana caritas, urgens necessitas, debita obedientia, ac evidens Ecclesie, aut reipublice utilitas.* Constat ex Trident. *sess.* 23. *cap.* 1.

34. Ratione *caritatis christianæ* potest Episcopus a sua Diocesi abesse. 1. Ad subveniendum periculo hæresis alienæ Diocesi imminenti. 2. Ad componendas magnatum discordias; dummodo ex sua absentia propriæ Ecclesie simile, vel aliud damnum non immineat. 3. Si ejus presentia in regia Curia sit necessaria ad tempus pro defensione suæ Ecclesie, aut ad purgandam suam familiam de crimine læsæ Majestatis.

35. Ratione *urgentis necessitatis*, licet ei abesse. 1. Quando contra ipsum Episcopum, non contra oves, commovetur magna persecutio, exemplo Apostoli, D. Athanasii, & aliorum, qui ad tempus, ut melius Ecclesie postea inservirent, se ab-

di-

Cap. Unic. De omnibus, quæ ad beneficia ecclesiastica spectant. 227

diderunt, & fugerunt. Si autem persecutio est communis Episcopo, & ovibus, aut his periculum imminet, tenetur animam ponere pro ovibus, tamquam bonus pastor generose lupis resistens, ut præclare docet D. Thom. 2. 2. q. 185. *art.* 5. Secundo abesse potest ad recuperandam salutem ex consilio medicorum; nisi ex absentia notabile damnum gregi sequatur, vel infirmitas esset perpetua: tunc enim minime abesse licet. Imo si Episcopus propter longævam, aut decrepitam ætatem, vel propter perpetuam infirmitatem Episcopalia munia obire non valet, tenetur in conscientia dimittere Episcopatum, saltem ex caritate, propter maxima præjudicia, quæ ex opposito Diocesis patitur.

36. Ratione *debitæ obedientiæ* potest abesse, quando Pontifex ob aliquod negotium ad se vocat Episcopum per breve tempus; nequit enim eum a residentia perpetuo dispensare. Qua ratione non valet eum constituere Curie romanæ Camerarium, summum Pœnitentiarium, aut aliud officium cum residentia incompatible tribuere.

37. Ratione *evidentis Ecclesie, aut reipublice utilitatis* licita est absentia, quando Episcopus pergit ad Concilium generale, seu provinciale, vel ad propriæ Ecclesie jura defensanda, si aliter defendi non valeant. Verum ad fungendum officio Consilarii Regis, aut Confessarii Regis, Præsidentis regni, vel Proregis, nequam licet Episcopis a sua Diocesi perpetuo abesse; quia etiam Cardinales sunt Consilarii Papæ, & nihilominus semel Episcopi constitui tenentur in suis Diocesis residere. Possunt ergo Episcopi, & debent, dum a Rege vocantur, ad breve tempus pro aliquo gravi negotio a sua Diocesi abesse. Sed si negotium perpetuam absentiam requirat, videant, quis eos ab obligatione residentie a jure naturali, & divino provenienti absolvere possit, nisi Episcopatu renuntient. Nec est credibile in toto Regno alios præter Episcopos ad præfata negotia obeunda idoneos reperiri non posse.

38. Inq. 2. An præter dictas causas detur alia excusans Episcopos a residentia? R. affirmat. Quia recreationis gratia possunt Episcopi abesse per tres menses

in anno, secluso gregis detrimento, & dummodo tempore adventus, quadragesimæ, Nativitatis, Resurrectionis, Pentecostes, & Corporis Christi suis Ecclesiis intersint. Ut constat ex Trident. *sess.* 23. *cap.* 1. *de reformat.* Idem indultum permisit canonicis, & præbendis. *sess.* 24. *cap.* 12.

39. Inq. 2. An possit Episcopus ex justa causa trimestre unius anni continuare cum trimestri anni sequentis? R. affirm. Quia in tali casu quolibet anno solis tribus mensibus a Concilio concessis abest; ergo licita est talis continuatio ex rationabili causa; nisi ob aliquam circumstantiam vergeret in populi, seu gregis detrimentum.

40. Verum Pater Concina hanc assertionem Salmanticensium vocat pro libito *falsam, & laxam*, infertque ex ea posse Episcopos viginti, aut triginta annorum trimestre in uno copulare, & sumere. Illegittima sane consequentia! Ad eam infertur videtur subdole mutasse questionem: ita enim inquirat *tom.* 10. *diss.* 4. *de beneficiis cap.* 3. *num.* 9. *Possunt ne Episcopi unius anni trimestre conjungere cum trimestre alterius anni?* Affirmantem sententiam tribuit absolute Salmanticensibus; sed falso. Illi enim per dicit solum docent trimestre unius anni posse continuari cum trimestri anni sequentis. Hoc autem valde diversum est ab impositione Concine, qui non semel tribuit Salmanticensibus, quod non dixerunt, Salmanticenses corroborant suam assertionem exemplo sumentis parvitatem materiæ in fine diei jejunii, & immediate aliam parvitatem initio diei sequentis, qui supposita causa, non peccat contra jejunium, quia in quolibet die unicam parvitatem desumit; & licet duæ illæ parvitates physice continuentur, tamen ratione diversi diei moraliter discontinnuantur. Quis prudens hinc inferre queat, ergo, possunt in uno, eodemque die triginta dierum parvitates copulari, & sumi? Nullus profecto. Neque pro hujusmodi cavillationibus dispellendis terere tempus vellemus.

41. Inq. 4. An Parochi, & cæteri curati possint a suis Ecclesiis ex eisdem causis ac Episcopi, abesse? R. affirm. Quia quando christiana caritas, debita obedientia, urgens necessitas, aut Ecclesie evi-

dens utilitas postulat alibi præsentiam Parochi ad tempus, suspenditur præceptum residentie: neque enim præcepta divina sibi se opponunt. Ultra prædictas causas permittit concilium Parochis absentiam per bimestre ex causa rationabili, & licentia in scriptis ab Episcopo gratis habita, relictoque substituto idoneo, seu Vicario ab eodem Episcopo approbato. Unde esto Parochus habeat justam causam duobus mensibus abessendi, nequit discedere sine licentia Episcopi, nisi in aliquo casu urgenti, in quo non possit commode licentia expectari. Tunc enim, relicto substituto idoneo, abesse poterit, dummodo quantocius moneat Episcopum, ut factum, & substitutum confirmet. Vide Lambertinum *Inst.* 17. n. 7. & seq.

PUNCTUM VII.

De qualitatibus ad validam, & licitam beneficiorum assecutionem requisitis.

42. Inq. 1. Quæ qualitates, seu conditiones requirantur ad validam, & licitam assecutionem beneficiorum? Resp. Quod supposito sexu masculino, & baptismo, saltem aliæ octo qualitates requiruntur. *Ætas* competens, status clericalis, cælibatus, probitas morum, scientia sufficiens, recta intentio, immunitas ab omni irregularitate, & censura, ac denique legitimitas natalium. Hæc saltem requiruntur de jure communi. De jure autem particulari exigitur etiam ad quædam beneficia naturalitas, & consanguinitas, dum ad ea solum naturales, & consanguinei vocantur. Similiter ad omnia, & præ omnibus est necessaria divina vocatio ad statum clericalem, quæ cum Deo, & viris piis, non cum carne, & sanguine consulenda est, Væ illis, qui ob commoditatem temporalem, & respectus humanos beneficia ambiunt, quærunt, sollicitant, & officiis indebitis assequuntur! Plus ea rapiunt, quam merentur, non enim intrant per ostium. Heinc oritur desolatio, ruina, & dedecus ordinis ecclesiastici, quem absque Dei vocatione, ad propriam, aliorumque perniciem amplectuntur.

43. Inq. 2. Quenam ætas requiratur ad Papatum, Episcopatum, & ad alia officia, & beneficia ecclesiastica? R. Quod

circa ætatem ad Papatum nihil decernitur in jure: supponitur enim nullum, nisi maturæ, proventuque ætatis esse eligendum ad supremum Ecclesiæ regimen: vel tenere electionem in subjecto cujuscumque ætatis legitime factam. Ad Episcopatum requiritur annus trigesimus completus. In Gallia ex concordia sufficit vigesimus septimus inceptus. Pro Abbatibus, & Parochis requiruntur viginquinque anni incepti. Pro beneficiis duplicibus, sive pro dignitatibus, aut personatibus sine cura animarum viginti duo completi. Pro beneficiis simplicibus, & cappellaniis quatuordecim inchoati. Pro canonicatibus Cathedralium viginti duo incepti; nisi præbendam Diaconatum, aut Sacerdotium exposcat: quia tunc requiritur eadem ætas, ac ad ordines præbendæ annexos. Idem dicendum est de Cardinalatu: Cardinales alii sunt Diaconi, alii Præbyteri, seu Episcopi.

44. Cum canonicis potest Episcopus dispensare, ut, inchoato anno decimo quarto, suscipiat quis canonicatum causa studiorum, quibus absolutis, redeat ad suam Ecclesiam proxime in Subdiaconum ordinandus. *Ætas* assignata ita est necessaria respectivè, ut ea deficiente, etiam per unam horam, aut dimidiam, nulla sit provisio, aut electio, & probabilius etiam oppositio: quia est velut forma substantialis præfixa a Concilio in indivisibili consistens; & quia etiam tempore oppositionis debet esse habilis quicumque ad beneficium opponitur. Computari autem debet ætas, non a die baptismatis, sed a die natiuitatis.

45. Secundo, requiritur *status clericalis* ad beneficium ecclesiasticum obtinendum. Unde qui saltem prima tonsura non est initiatus, inhabilis est ad beneficia. Tertio, requiritur *cælibatus*: ita ut nullus conjugatus capax sit beneficium. Imo, si beneficium possidens matrimonium contrahat, illud statim amittit. Quarto, *immunitas ab irregularitate, & ab omni censura*, etiam occulta, ita exigitur ad beneficium, ut non solum collatio, sed etiam electio, præsentatio, aut resignatio facta in favorem irregularis, aut censurati, sit ipso facto irrita, & nulla. Quinto, *probitas* morum est necessaria ad beneficia: collatio tamen improbo facta est irritanda; non

vero

vero irrita; nisi delicta habeant annexam censuram, aut irregularitatem. Sexto, requiritur *scientia sufficiens*, juxta beneficiorum munia. Provisio facta in subjecto prosum illitterato est nulla. Si autem aliquam scientiam habeat, valida reputatur, quamvis irritari eam conveniat.

46. Septimo requiritur *recta intentio* Deo, & Ecclesiæ famulandi, & inserviendi, suscipiendo congruo tempore ordines beneficio annexos. Unde obtinens beneficium parochiale debet habere intentionem Sacerdotium intra annum suscipiendi, sub pena amissionis fructuum beneficii; imo etiam ipsum beneficium amittit, si negligeret annum sine promotione ad Sacerdotium transegit. Similiter qui cum animo dubio ascendendi intra annum ad Presbyteratum suscipit beneficium curatum; ejus fructus amittit: quia dubitans nullam reapse habet intentionem. Si vero habeat animum conditionatum, suos efficit fructus; quia animus conditionatus verus animus est, sicut votum conditionatum verum votum est, unde recipiens beneficium, etiam curatum, animo perseverandi, nisi aliqua rationabilis causa superveniat, verum animum habet, ideoque non amittit fructus, si, deficiente conditione, Sacerdotio intra annum initiatur. Idem est dicendum de clerico, qui sine animo ascendendi ad Sacerdotium, si, mutata voluntate, intra annum fiat Sacerdos, suos enim efficit fructus, saltem a tempore, quo voluntatem mutavit; quia esto peccaret graviter in prima intentione, reipsa tamen adimplevit Ecclesiæ præceptum. Ob oppositam rationem recipiens beneficium curatum recta intentione Sacerdotii recipiendi intra annum, sed mutata voluntate, non fuit ad illud promotus, debet amittere fructus a tempore pravæ intentionis: quia ex tunc Ecclesiæ præceptum violavit.

47. Inq. 3. An recipiens beneficium simplex animo fruendi ejus fructibus ad tempus, & postea uxorem ducendi, aut laicandi, grave peccatum committat, & ad fructum restitutionem teneatur? R. affirm. Tum quia decipitur Ecclesia in re gravissima. Tum quia datur perversio ordinis naturalis, & divini, statuentis beneficia ecclesiastica solum esse recipienda ad inserviendum Deo, & Ecclesiæ. Cæterum obtinens beneficium simplex, absque animo

suscipiendi ordines ei annexos, esto grave delictum perpetret; ad restitutionem tamen nullo jure adstringitur, si animum perseverandi ab initio habuit, & adhuc conservet. Recipiens beneficium curatum animo postea ad aliud ascendendi, vel permutandi cum alio, aut resignandi superioris permisso, nullum peccatum committit, supposito, quod interim suo muneri satisfiat: quia ex nullo cogitur jure ad perpetuo retinendum idem beneficium, aut in eo unico semper permanendum.

48. Octava qualitas requisita ad beneficia est *legittimitas natalium*. Unde illegitimi, tam naturales, quam spurii, inhabiles sunt ad beneficia ecclesiastica. Pro cuius luce nota, quod legitimi dicuntur, qui ex legitimo matrimonio oriuntur; contra illegitimi, qui extra matrimonium procreantur. Naturales vocantur, qui concipiuntur, aut nascuntur, quando parentes matrimonium sine dispensatione valide contrahere poterant. Spurii vero quando impedimento dirimente parentes affecti erant Expositi, quorum parentes ignorantur, pro legitimis habentur ad beneficia; licet non ad officia nobilitatem exigentia. Quatuor modis legitimari possunt ad beneficia. 1. Naturales per subsequens matrimonium. 2. Reliqui per Pontificis legitimationem. 3. Per ejusdem Pontificis dispensationem. 4. Per professionem religiosam.

49. Inq. 4. An Neophiti habiles sint ad beneficia? R. Quod intra biennium a sua conversione sunt inhabiles; post biennium autem ex Papa, vel Episcopi dispensatione possunt admitti ad beneficia, & ordines, supposita vitæ probitate. *Neophitus* idem est, ac noviter conversus: a *neos*, & *phitus*; idest novus fidelis. Si a Judaismo sit conversus, appellatur etiam *Marranus*.

50. Filii illegitimi Presbyterorum excluduntur a beneficiis, & quocumque ministerio solemnium in Ecclesia, in qua pater beneficium habuit; imo nec pensionis super beneficio paterno sunt capaces. Solus Pontifex ad beneficia cum eis dispensare valet. Filii vero legitimi Presbyterorum possunt obtinere beneficia in Ecclesia: in qua pater Beneficiarius est. Imo potest assequi idem beneficium, quod pater habuit, non

non immediate, ne successio hæreditaria videatur, sed mediate, ita ut inter patrem, & filium mediet alius: ut cavetur in cap. ex transmissa.

PUNCTUM VIII.

De naturalitate, & consanguinitate ad aliqua beneficia requisitis.

51. Inq. 1. An beneficia ecclesiastica conferenda sint tantum naturalibus regni, aut loci? Resp. Quod licet ex jure communi omnia beneficia conferri possint quibuslibet exteris vere idoneis; tamen ex peculiari jure aliquorum regnorum tantum naturalibus conferri debent. Pro regno Hispaniæ constat. Ex lib. 1. nova recopil. tit. 3. leg. 19. Ubi decernitur, ne Prælatu- ræ, dignitates, aut beneficia conferantur: nisi naturalibus. Et leg. 21. disponitur: quod beneficia in Diocesi Burgen- si, Palentina, & Calagurritana in solis patrimonialibus provideantur. Idem præcipitur in constitutionibus synodalibus earumdem Diocesium. In ipsis declaratur, sicut in legibus regni, quis dicendus sit naturalis regni, & Patrimonialis civitatis, aut oppidi, ipsarumque declarationi standum est pro beneficiis valide, & rite conferendis: sunt namque leges valde justæ, utilitati- que Ecclesiarum, ac locorum multum con- gruenter. Si autem in aliqua civitate sint peculiaris statuta, aut consuetudines circa beneficia his præ aliis conferenda, obser- vari debent. Vid. D. Thom. 2. 2. q. 63. a. 2. ad 4.

52. Inq. 2. An sint beneficia, quæ solis consanguineis fundatoris conferri debeant? R. affirmat. Quia plures sunt capellanæ, & etiam beneficia, sive simpli- cia, sive curata, ad quæ primo consan- guinei vocantur. Sicut enim dantur bene- ficia, quæ solis naturalibus conferri possunt, ita dantur alia, quæ solis consanguineis fundatoris impertiri valent. Neque in istis adest obligatio conferendi absolute digniori, sed sufficit, quod digno conferatur: quia fundator est dominus, qui ut talis potest sine alicujus injuria digno, relicto dignioribus, beneficium conferre. Debet tamen patronus consanguineum dignum fundatori propinquorem præsentare: quia fundator amore familie præsumitur fun-

dasse cappellaniam, seu beneficium; cer- tum autem est propinquiores magis dili- gi, ergo præferendi sunt minus propin- quis.

53. Eadem ratione concurrentibus duobus consanguineis in gradu æquali, cæteris paribus, agnatus præferendus est cog- nato: quia naturaliter magis diligitur, ideoque ad bona profana, esto non exprimat in fundatione majoratus, semper præferatur. Nihilominus posse in tali casu cognatum præsentatum a Patrono institui non inficiamur: quia patronus designatus est a fundatore velut Juxda ad eligendum illum, qui utilior, aut dignior sibi visus fuerit. Si ex designatis familiaris, aut consanguineis, nullus ad beneficium curatum dignus reperiretur, debet Episcopus alios dignos seligere ad præficiendum Ecclesiæ: quia indigni nullatenus sunt admittendi. In gradu æquali consanguinitatis semper dignior præferendus est.

54. Sub nomine consanguineorum spu- rii non intelliguntur: quia hi non reputantur de familia, aut domo fundatoris, licet vere consanguinei sint; nisi a Pontifice, vel Principe legitime, quo in casu habiles sunt ad beneficia. Naturales, cum vere sint consanguinei, & gaudeant nobilitate parentum, admittendi sunt ad beneficia pro consanguineis fundata. Gradus proximitatis ad beneficia computandi sunt non juxta dispositionem juris canonici, sed juris civilis: quia computatio graduum juris canonici solum pro matrimonio deservit, non pro successione hæreditaria, aut in materia successione, in qua juxta omnes computatio juris civilis servari debet. In computatione graduum lineæ rectæ conveniunt jus civile, & canonicum, in lineâ vero transversali datur differentia, quæ in tractatu de matrimonio explicatur.

PUNCTUM IX.

Quot modis beneficia acquirantur?

55. Inq. 1. Quot modis beneficia acquiri possint? Resp. Quod sex modis acquiri valent. Primo, patroni præsentatione, institutione subsequente. Secundo, electione, & confirmatione. Tertio, collatione libera. Quarto, postulatione, ad quam sequitur admissio. Quinto, resignatione unius, & accep-

Cap. Unicum, De omnibus, quæ ad beneficia ecclesiastica spectant 231

acceptatione alterius. Sexto, permutatione a Superiori approbata. Beneficia, quæ ab eodem conferuntur, & confirmantur, vel quæ per solam electionem jus habentis, absque alia confirmatione acquiruntur, dicuntur absolute collativa: quia ratione electiones factæ a Pontifice, & Episcopis potius dici debent collationes, seu provisiones, quam electiones. Omnia alia, quæ superioris confirmatione indigent, dicuntur absolute Ellectiva.

56. Inq. 2. Quid, & quotplex sit jus patronatus? Et quot modis acquiratur? R. Quod jus patronatus est potestas nominandi, seu præsentandi aliquem instituendum, ad beneficium ecclesiasticum vacans. Est duplex, aliud ecclesiasticum, aliud laicale: ecclesiasticum est, quod bonis Ecclesiæ est comparatum. Laicale, quod bonis propriis laici comparatur. Utrumque tribus modis acquiritur. Primo, fundatione, quando quis tribuit fundum ad Ecclesiam erigendam. Secundo, constructione, dum quis propriis expensis Ecclesiam ædificat. Tertio, dotatione, cum quis Ecclesiam dotat, sufficientes redditus ei, ejusque ministris relinquens. Et hæc est præcipua conditio; absque dotatione enim jus patronatus non acquiritur: quia absque redditibus beneficia consistere nequeunt. Parum autem interest quod dotatio fiat ante, vel post constructionem Ecclesiæ. Ad jus patronatus ecclesiasticum acquirendum auctoritas Episcopi requiritur. Titulus juris patronatus constare debet ex authenticis documentis, seu ex consuetudine immemorabili præsentandi, ut decernit Trident. Sess. 25. de reformatione.

57. Triplici modo jus patronatus transferri valet, nempe: jure hæreditario, donatione, & cum re vendita. Ipsum autem jus est invendibile, non solum jure ecclesiastico, sed probabilibus jure etiam divino, ut diximus in tractatu de simonia.

58. Patronus quadruplex jus in Ecclesia acquirat. Primo, habet potestatem ad præsentandum clericum ad beneficium vacans: prius enim vacare beneficium debet, quam præsentatio fiat: alias hæc irrita erit, ne detur occasio mortem possessori requirendi. Secundo, habet honorem, & primum locum in Ecclesia, choro, & processione, atque in aliis functionibus debet cæteris præferri, dando ei

osculum pacis, candelas, ramos, & thurificando illum ante alios. Tertio, habet onus protegendi, & conservandi Ecclesiam, ejusque bona, ita ut si Ecclesia corruat, & comburatur, ad ejus reparationem teneatur, & compelli potest, nisi Patronatum amittere velit. Quarto habet emolumentum, quod si ad summam egestatem devenerit, & Ecclesiæ bona, deductis impensis necessariis, supersint, debet Ecclesia illi suppeditare strictius, quam aliis indigentibus, non solum ex caritate, sed etiam ex justitia. Omnia comprehendit glossa duplici carmine sequenti.

Patrono debetur bonos, onus, emolumentum. Præsentet, præsit, defendat, alatur egenus.

PUNCTUM X.

De præsentatione, & institutione.

59. Inq. 1. Quos præsentare patronus teneatur? R. Quod omnis patronus sive ecclesiasticus, sive laicus clericum digniorum ad beneficium præsentare debet: quia patronus, etiam laicus habet potestatem præsentandi ad Ecclesia, seu Pontifici: ergo sicut Pontifex tenetur digniorem eligere, ita patronus omnis digniorem præsentare. Nemo valet præsentare seipsum. Verum si plures sint patroni, unus præsentare alterum potest: sicut electores unum ex electoribus eligere possunt. Nemo ambigit esse peccatum grave indignum præsentare, cum sit contra jus naturale, & bonum commune. Præsentans indignum privatur, pro illa vice, jure præsentandi. Pater filium idoneum præsentare valet: quia esto fictione juris pater reputetur persona filii, non tamen re ipsa est. Quando sunt plures patroni omnes debent vocari, & citare ad præsentandum; alias præsentatio est nulla. Si enim valeret, libera fraudibus, & injustitiis panderetur via. Non tamen requiritur citatio personalis, sed sufficit fieri per publica edicta, ita ut in notitiam patronorum beneficii vacatio facile devenire possit. Tunc enim qui non concurrat ad præsentandum intra tempus a jure præfixum, sibi imputet omissionem.

60. Inq. 2. Intra quod tempus a patronis præsentatio fieri debeat? R. Quo patroni